IEREMIAS DE MONTAGNONE

Bayern?, um 1429 Seite 39v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Seneca epistolarum ad lucillum libro primo epistola iij.
Omnia cum amico delibera sed de ipso prius.
Idem de remediis fortuitorum. ca. xx. Ibi amicum queras ubi inuenias. Quere inter liberales artes inter recta et honesta officia quam in laboribus ad mensam ista res non queritur. Quere aliquem fecerunt.
Marcialis cochus libro undique suscepto. ca. iij.
Sepe diuque suo quem diximus esset amore
Preclara insipiens sic amat ex hitu.
Anteque amicos recipe proba. sed amare probatum cerea totumque illum
pectore suscipias
Cato. ca. v. et fi.
Cum tibi uel sotium uel fidum queris amicum.
Non tibi fortuna est hominis sed uita petenda.

De conseruandis et retinendis amicis. ca. xij.

Salomon in prouer. ca. xxvij. Amicum tuum et patris tui ne dimiseris.
Isocrates in exortationibus. ca. primo. dicit sic natos flore, sic et perenne dilectionis esse heredes.
Aristoteles rhetor. libro ij. ca. xj. Separari ab amicis et consuetis insuperabilis confusio debilitas orbatio.
Ihesus filius sirach in Ecclesiastico. ca. ix. Ne derelinquas amicum tuum antiquum. Nouus enim non erit similis illi. Idem. xxij. ca. Qui conuiciatur amico dissoluit amicitiam.
Seneca epistolarum ad lucillum libro vij. epistola v. Amicus diu possidendus est.
Marcialis cochus libro undique suscepto. ca. iij.
Prudentis proprium est consilio retinendus amicus.
Quem sero conficies. sed cito perdes eum.
Autor libri qui dicitur facetus. ca. vij.
Querit euentu sotius. tamen arte tenendus.
paruula res querere sed retinere labor.

De confidentia amicorum. capitulum xiij.

Cronica de nugis phorum. ca. et fi. si. de Biante. Bias unus de vij. sapientibus dicebat diligere oportet odio habituros, non plerosque malos.
Tullius de Amicitia. Tullius negabat nullam uocem inimiciorem posse reperiri quam eius qui dixisset ita amari oportere, ut aliquando etiam osurus nec uero se adduci posse, et hec quemadmodum putaret a biante esse dictum crederet qui sapiens esset habitus unus ex septem, sed impuri cuiusdam aut ambitiosi omnia ad suam potentiam reuocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius cuius inimicum se putabat esse posse.
Valerius maximus libro vij. ti. de constantia Alexandri macedonum regis. Amicus et comes philippus medicus cum suis manibus temperata potionem Alexandro porrexisset, a parmeno ne misse litere superuenerunt admonentes ut rex insidias philippi medici pecunia corrupti a dario caueret quas cum legisset sine ulla cunctatione medicamentum hausit, ac eas tum legendas philippo tradidit. propter quod tam constanti erga medicum iudicio dignissimam a diis immortalibus mercedem recepit qui incolumitatis eius presidium falso interpellari iudicio uoluerunt. Idem libro. ti. de moderatione. plato cum aquodam audiret Xenocratem discipulum suum de se multa impie locutum, sine ulla cunctatione criminationem respuit, et stabat certo uultu iudex. Cum causas cur sibi fides non adhiberetur adiecit, quod non esset credibile, ut quem tanto tempore amaret ab eo inuicem non diligeret. postmodum cum ad iusiurandum inimicitias serentis malignitas confluisset, ne de periurio eius disputaret, affirmauit Xenocratem illa dicturum fuisse nisi ea dici expedire sibi iudicasset.
Idem ti. de amore et dilectione. damon et phicias pictagorice prudentie sacris initiati, tam fidelem inter se amicitiam iunxerunt ut cum alterum ex his dyonisius siracusanus interficere uellet atque hic ab eo quod prius quam periret domum profectus res suas ordinaret impetrasset alter uadem se pro reditu eius tyranno dare dubitauit. Igitur omnes et in primis dyonisius noue atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquante deinde finita die, nec illo redeunte, unusquisque stultitie tam temerarium sponsorem damnabat. At hic nichil se de amici constantia metuere predicabat. Eodem autem momento et hora a dyonisio constituta qui eam acceperat superuenit. Admiratus amborum animum tyrannus, supplicium fidei remisit. Insuperque eos rogauit, ut se in societatem amicitie tercium sodalicii gradum ultima culcarum beniuolentia reciperent.
Idem. Bias ita aiebat oportere homines in usu amicitie uersari ut meminissent eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti, quod quidem preceptum, prima specie nimis fortasse callidum uideatur, inimicumque simplicitati qua amicitia p-